

tis hominum myriadibus auctae per colonias superius enumeratas. *Commerciorum per easdem incredibilia incrementa. Marchiae quaedam deserta agris ac vicis exculta. Frisiae Orientalis & Limburgici comitatus, posito euentu, successio. Quedlenburgici; Petrini montis & plurium, factae emtiones. Causae Danicae, Holsaticae, Mecklenburgicae; ipsa Magnae Britanniae monarchia aliaque multa nostri principis consiliis auxiliisque adiuta & procurata. Amicitia singularis cum sacratissimis rerumpublicarum rectoribus contracta cultaque, Augusto imperatore; Magnae Britanniae monarcha, isto orbis oculo; summis Belgii ordinibus; Saxoniae, Hassiaeque ac multis aliis principibus potentissimis. CONIUGEM taceam SOPHIAM CHARLOTTAM? Coronam suae aetatis dixeris. Superat animi dotibus sexum suum: formae pulchritudine excellit in eo. Obseruatio fuit non infimi in aula regia ministri domini de B. Friderico I. qui nostrae genti *electoratum* acquisiuit, pulcherrimam vxorem fuisse, vulgi etiam sermone celebratam *die schöne Else*. Sic fauore quodam prouidentis Numinis factum, vt *Friderico* Porussici regni conditori pariter coniux esset, nulla non venustatis laude ornatissima. Ita enim Romani adagii hic rationem expleri: *regnum ORE mereris*. In regio tandem herede claudo.*

FRIDERICVS WILHELMVS, (*) *unigena*, in parua XII. annorum aetate magni ingenii clarissima vestigia reliquit, quae virtutum, studiorumque in literis, arte militari, equestri, gladiatoria, exercitiis *iuventutis principe* dignis, miro quodam cursu auget quotidie, vt, eum *retineri* magis, quam *impelli*, opus esse videatur. Gnauiter principis excellens ingenium supra laudatus minister in *numismate* retulit; quippe aquilae, radiis solaribus oculos adfuescenti, verba adscripsit: *Patrios iam*

R 4

Tabula

(*) FRIDERICVS WILHELMVS rex, rerum bellicarum & oeconomiae callentissimus, cum prima sine vltimis nequeant consistere, obiit die 31. Maii intra 1. & 2. meridianam Potsdami clo 10 cc xl. Promulgationem obitus editam habes in Hallens. diurnis 1740. num. 23.